

SCRIPTA

Numéro Scripta : 771

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Eu (doyen)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, août

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre de l'official de Rouen au doyen d'Eu, au sujet des dîmes perçues par Raoul, curé de Melleville, dans sa paroisse

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCXIV, p. 242-243.

Texte établi d'après a

Officialis Rothomagensis decano de Augo salutem in Domino. Cum Radulfus, rector ecclesie de Mellevilla, confessus fuerit coram nobis abbatem et conventum de Ulteriori Portu debere percipere in parrochia ipsius rectoris fructus garbarum decimalium, videlicet in territorio magne decime duas partes garbarum decimalium, et in territorio parve decime omnes fructus decimales garbarum, exceptis decimis fructum crescentium in ortis clausis ab antiquo factis, et, ex parte dictorum religiosorum, nobis sit intimatum, cum querela, quod dictus rector dictos fructus seu aliquam partem in aliquibus locis dictarum decimaru[m], seu ejus mandatum, contra confessionem suam temere veniendo, percepit et levavit, seu perceptionem predictorum nomine suo factam, contra immunitatem monasterii seu ecclesie eorumdem religiosorum, ratam habuit et habet ; unde, cum petant dicti religiosi ipsum rectorem condemnari et compelli ad restituendum sibi omnia que ipse, vel ejus mandatum, de dictis decimis dicitur absportasse, in processu cause, si necesse fuerit, loco et tempore declarandis, et ad desistendum de cetero a perceptione eorumdem : vobis mandamus quatinus ipsum rectorem moneatis, ex parte nostra, de restituendo dictis religiosis omnia que de dictis decimis dicitur absportasse, et ne ipse predicta de cetero percipere presumat. Quod nisi fecerit, competenter a vobis monitus, citetis eum peremptorie coram nobis contra dictos religiosos, ad crastinum beati Egidii, dictum rationem qua monitioni vestre parere minime teneatur, eidem significantes quod ipsum suspendetis, nisi monitioni vestre paruerit, vel comparuerit dicta die coram nobis. Quo facto, si eum ob hec citaveritis, litteras sigilletis. Datum anno Domini M°. CC°. Lmo. secundo, die [.....] post Assumptionem beate Marie Virginis.